

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

580. An, & qualiter missis jam literis, sed nondum factâ dictâ recognitione
Romæ: vel etiam ea jam facta possit Ordinarius pænitere, & se ad jus
commune reducere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

visus capere non poterit possessionem , quousque constiterit , conditionem appositam veram esse ob periculum intrusionis , ac ita Ordinarius cavere debet in literis provisionis . Castrop. loc. cit. num. 6 . Garc. num. 777. & 779. qui etiam n. 778. addit. sic quoque Episcopum probabilitate dubitante , num Roma facta dicta recognitio , non posse licite providere de beneficiis vacantibus in mense Martii vel Septembr. (qui alias , seclusa alternativa , competebant Ordinario vi regulæ reservatoria 8. mensium) nisi sub dicta conditione .

Questio 579. Num Episcopus duarum Diœcesis acceptando alternativam pro una , censetur aut teneatur hoc ipso etiam acceptare pro altera ?

Respondeo negativè ; expedire enim potest , ut acceptet pro una , & non pro altera . Card. de Luca. de benef. d. 19. n. 5. ubi , quod id ipsum procedat , etiam ista Diœceses essent unitæ principaliiter , & citar pro hoc Gonz. gl. 58. num. 22. & dicit , sic absolute supponi in Casaraug. beneficii , apud Garc. n. 706.

Questio 580. An , & qualiter missis jam literis , sed nondum factâ dictâ recognitione Roma , vel etiam eâ jam factâ possit Ordinarius paenitere , & se ad jus commune reducere ?

Respondeo ad primum : ante factam recognitionem à Datario certum est , quod possit Ordinarius paenitere , & poenitendo declinare alternativam ; cum ante illam ei nihil adhuc concessionem sit , sed is procuret , ut concedatur ; adeò que desistere potest à procuratione . Castrop. cit. p. 23. §. 4. n. 11. ex Gonz. gl. 63. à n. 22. Verum tenetur tunc Ordinarius monere nuncium , vel ipsum Datarium de hac paenitentia , ne litera missa , & jam revocata , adeò que nulla recognoscantur & approbentur , & sic Papa irrideatur : quin & in suis provisioribus derimentum patiatur ; cum satis probabile sit ex vi revocationis , etiam non intimata , cessare acceptationem factam . Castrop. loc. cit. verum circa hoc

2. Respondeo secundò : si antequam nuncius vel Datarius moneatur de hac paenitentia Ordinarii , Datarius literas ab eo missas recognoscat & approbet , probabiliter recognitio & approbatio est valida , non obstante revocatione non intimata ; ed quod juxta textum Clem. 1. de renunciatione . cessio beneficii teneat , quousque hac cessio fuerit intimata , ut illusio & variatio in personis ecclesiasticis viretur . Adeò que jam verum non est , quod factâ revocatione acceptatio non intimata , non sit amplius acceptatio ; cum acceptatio firma perficiat , neq; valeat cum effectu revocari ab acceptante , quousque is revocationem notificet . Castrop. ibid. n. 12. ex Gonz. loc. cit. n. 48.

3. Respondeo tertio : postquam literæ dictæ acceptatio sunt à Datario & approbatæ , revocari non potest acceptatio cum effectu sine scitu & consensu Pontificis ; cum enim , ut dictum , ista concessio involvat contractum initum ex mutuo consensu Papæ & Ordinarii , hinc resultat , quod sola declaratio Ordinarii declarantis , nolle se amplius uti alternativâ jam acceptatâ , non sufficiat , cum distractus exigat eundem simultaneum consensum ,

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II.

qui in contractu requisitus erat . C. de Luc. de benef. 93. n. 3. citans Gonz. gl. 58. n. 14. Mand. conf. 18. n. 8. Put. decif. 88. l. 3. item Corrad. l. 3. c. 6. num. 10. & 12. Sed neq; tenerur Papa renunciationem hanc admittere , sed eam rejicere potest , si causa legitima illius non proponatur . Castrop. loc. cit. §. 5. n. 3. solet nihilominus quandoq; hujusmodi renunciationem admittere . Corrad. loc. cit. n. 11. ubi etiam hujus rei praxi ponit ex Gouz. gl. 58. n. 23. quod nimirum , postquam Papæ porrectus est libellus duplex , illum ad Datarium remittit , qui illius nomine aut admittere aut rejicere solet ; prout sibi bene visum ob causas in libello expresas . Et tunc nihil aliud agitur , quam quod acceptatio semel facta cancelletur & cassetur de libro Dataria , & in margine cassatio acceptationis cum anno , mense , die , annotatur . Castrop. loc. cit. §. 5. n. 33.

4. Respondeo quartò : neque etiam iadiret Ordinarius , absentando se à Diœcesi sua , potest revocare acceptationem alternativæ sine consensu Papæ ; per seiam enim absentiam Episcopi non resolvitur alternativa in prajudicium Papæ ; sed solum inducitur simplex suspicio in prajudicium Episcopi . Lott. l. 2. q. 41. n. 47. citans Rot. in Faventina Canonicius . 16. Decemb. 1585. Quamvis tamen in isto casu pro resolutione alternativa sufficiat consensus implicitus Papæ , ut , si ipse conferat contra usum alternativæ : ubi enim consensus requiritur , non minus tacitus , quam expreslus attenditur juxta Decium conf. 31. n. 4. & Surd. conf. 35. n. 16. Lott. n. 48. & 49. Ac propterea , si post acceptatam alternativam doceretur , non tantum Episcopum contulisse jure suo ordinario in suis 4. mensibus , sed etiam Papam in suis 8. utique contractus hic censeretur contrario consensu resolutus ; eò quod Papa videbatur approbasse recessum Episcopi . Lott. num. 50. & 51. citans pro hoc decif. Rot. in Paduana Prioratu . 18. Maij 1611. In qua tamen dictum , ut Lott. n. 52. gratiam alternativæ pendere ex consensu Papæ , non ex scriptura acceptationis , quæ exigitur , ut inde probetur factum acceptationis . Adeò quod econtra necessarium non est , ut contrarius consensus , Papæ nimurum , quo in dictam dissolutionem alternativæ consentit , per scripturam justificetur ; nam neque scriptura est necessaria pro recessu à contractu celebrato in scriptis , nisi scriptura fuerit exhibita pro forma contractus , eò quod contraheentes à principio noluerint aliter valere contractum , quam si in scriptis fieret . Lott. n. 53. & 54.

Questio 581. Ad quæ beneficia se extendat alternativa ?

1. Respondeo primò in genere , videnda esse , quæ dicta sunt supra ad primam partem hujus regulæ , in quæt. quænam beneficia cadant sub reservatione mensium ; ad eadem enim extendit se alternativa , exceptis solum iis , quæ non sunt liberæ collationis . Chok. hic gl. 16. n. 1. hinc

2. Respondeo secundò : extendere se illam ad omnia beneficia , sive sint cum cura , sive absque cura ; sive regularia , sive facultaria , qualitercumque qualificata &c. quæ alias reservata non sunt , & ad liberam ipsorum Episcoporum dispositionem spectant ; qualia sunt , quæ Episcopi absque alterius dispositione , electione , præsentatione , consilio , consensu vel interventu providere possunt , seu quorum propositio à solius Episcopi voluntate de-

X. pender.